



per consequens, nullius hominis conscientiam obligare poterit. Unde Bernardus, epistola septima, quae est ad Adam Monachum, ait: Mala imperantibus non est parandum, praesertim, dum pravus obtemperans imperis, in quo homini videris obediens. Deo plane, qui omnem ne, quod perperam agitur, interdixit, inobedientem te exhibes. Valde autem perversum est, profiteri te obedientem, in quo nosceris superiorum propter inferiorum, rem id est, divinam propter humanam solvere obedientiam. Et aliquibus interpositis, subdit: Facere malum, quolibet enim jubente, constat non esse obedientiam, sed potius inobedientiam. Sane hoc advertendum, in quod quaedam sunt pura bona, quaedam pura mala; & in his debent hominibus obedientiam, quoniam nec illa omittenda sunt, etiam cum prohibentur, nec illa, vel cum jubentur, committenda. Haec tenet Bernardus. Et inde deducit, ut is contra quem aliquis mala fide praescripsit, non amittat dominium rei praescriptae, quamvis autem, ut sponsalia largitas, §. Rursus, Collatione 9. concedat dominium ejusdem rei ipsi praescribenti, quoniam talis auctoritas, ut capite 2, superius admonuimus, est contra legem divinam, quae prohibet omnimodum furtum. Et inde ulterius infero, ut is, contra quem alius mala fide praescripsit, si illi post talem praescriptionem plene confiteri de mala fide possidentis, poterit rem suam, ubicumque invenierit, sine culpa aliqua capere: & si illam non invenit, poterit se ad aequivalentem vendicare, si utrumque sine scandalo facere potest, & malam alterius fidem apud iudicem nequit probare. Hoc corollarium probatur, quia rem suam apud alium detentam, quilibet potest ab injusto possessore cum praedictis conditionibus accipere. Ita enim docet Alexander de Ales, in 4. part. quaest. 86. membro primo, & Guillelmus Altrifiodorensis, in materia de restitutione, quaest. 5. Et idem sensum glossa in cap. Jus gentium, dist. 2. in verbo Sedum, & citat pro hujus sententiae confirmatione, cap. primum & secundum, 23. quaest. 2. & 1. Ait prator, in §. Si debitorum, ff. de his quae in fraud. creditorum. Et juxta hunc sensum dicit esse intelligenda, quae dicunt, nemini licere propria auctoritate rem suam capere, ut dicitur in cap. Placuit, 16. quaest. 6. & in l. Extat, ff. Quod metus causa, & in l. Si quis in tantam. C. Unde vi. Et certe (ut ego sentio) haec jura ita decreverunt ad evitandum scandalum, quod passim evenire poterat, si quisque rem suam propria auctoritate recuperaret: ergo cum id sine scandalo fieri poterit, optime fiet. Ex eadem principali regula infero, eum qui in emptione, aut venditione alium decepit, etiam citra dimidium justipretii, teneri in conscientia ad restituendum quidquid ultra justum pretium accepit, quamvis leges civiles talem deceptionem licitam esse dicant. L. In causa, §. Idem Pomponius, ff. de Minoribus, & l. Item si pretio, §. Quemadmodum, ff. Locati, & Conducti. Probatur corollarium, quia talis legum licentia est contra jus divinum & naturale, quod praecipit servare aequitatem, & prohibet omnem in quocumque deceptionem: Non mentimini, inquit Deus noster, nec decipiet unusquisque proximum suum. Et Paulus admonet: (2. Thes. 4.) Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam (ut ait) vindex est de his omnibus Dominus. Et Aristoteles quinto Ethicorum docet, servandam esse aequalitatem in commerciis emptionis, & venditionis, nisi forte tam modicus sit excessus, ut quemadmodum dicit Scotus, in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. praesumatur contrahenti-

tes sibi mutuo condonare. Et ad capit. Cum dilecti, de Emptione, & Venditione, dico, quod tollit actionem in foro exteriori parti deceptae, nihil tamen in conscientia concedit decipienti. Potest etiam lex humana injusta censeri propter solum potestatis defectum, etiam si nihil contra legem divinam statueret. Et hoc semper contingit, quoties legislator majore utitur potestate, legem condens, quam fuerit sibi a superiore commissus. Propter hanc causam Praelatus ordinarius subditum suum extra limites suae jurisdictionis degentem excommunicans, injuste agit, & ejus excommunicatio nulla censetur, ut habetur in cap. Ut animarum, §. Statuto, de Constitutionibus, lib. 6. Eidem causae & rationi innititur illa regula juris, quae habetur in cap. At si Clerici, in princ. de Judiciis. Sententia non a suo iudice lata, nulla est. Hujusmodi enim legislatori, aut iudici aptissime convenire mihi videtur id, quod ait Paulus: (Rom. 14.) Tu quis es, qui iudicas fratrem alienum? Propter hunc potestatis defectum, multi Theologi censent injuriam fore legem humanam, quae de actibus hominis interius, qui soli Deo patent, aliquid praecipit. Quoniam (ut ajunt) tales actus non subfunt iudicio humano, & inde consequens esse arbitrantur, ut nullum supra illos habeat homo potestatem. Alio defectu, qui potest reddere legem injustam, est defectus finis. Hic tamen admonere oportet lectorem, ut intelligat non omnem malum finem a legislatore intentum sufficere ad reddendam legem injustam. Si enim finis intentus non nocet reipublicae, sed est illi indifferens, & res quae per legem praecipitur, aperte cognoscitur esse reipublicae utilis, quamvis legislator legem condens, male agat & peccet: lex tamen ab eo condita, nihilominus justa dicitur, si caetera ad ista quae ad legem justam necessario exiguntur. Ut gratia exempli, si Princeps ad reprimendum effrenatum vestimentorum luxum legem statueret, quae pro varietate cujusque status & conditionis vestimenta moderaretur, poenam etiam moderatam legis hujus transgressori hac sola intentione adiciens, ut lucrum sibi ex talibus poenis pararet, vel ut unum, aut alterum civem, quem odii habet, hac poenae occasione punire, certum est Principem, cum legem hoc fac statuat, peccare. Si tamen id, quod per legem illam decretum est, in utilitatem reipublicae vergere cognoscatur, erit proculdubio lex illa justa censenda. Idem etiam contingeret si pro vana gloria legem illam conderet, vel ut populus hujus legis medio pluribus pecuniis abundans, facilius posset eidem Principi ad bellum aliquod injuriam subvenire. Et in his omnibus, non obstante malo Principis fine, populus tenetur legi sic ab eo statuae, propterea quod justa est, obedire: quamvis ille talem legem condens, peccaret. Sicut uxor teneretur reddere debitum marito, qui ad solam libidinem suam explendam illud exigeret, quamvis ille sic petens peccaret. Solus igitur ille malus finis obstat, ut lex justa esse possit, per quem non communi reipublicae, sed privatae utilitati consulit legislator. Tertius defectus, propter quem lex fieri potest injusta, est defectus formae debite, quae quidem forma consistit in hoc, ut servetur aequalitas proportionis Geometricae inter eos, quibus imponantur onera propter bonum commune. Injustum enim est, ut debiles & pauperes plus, aut tantum oneris pro bono communi sustineant, quantum fortes, & divites subire possunt. Sed pensandae sunt prius cujusque vires, & juxta cujusque potentiam onera illis erunt postea imponenda. Nam Deus ipse totius justitiae fons, juxta hanc rationem cuique necessitatem operum imponit, qui ab illo qui multa potest, mul-

multa exigit: & ab eo, qui non nisi pauca praestare valet, pauca etiam perit. Nam (ut beatus Gregorius ait) eum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Est adhuc in ipsa forma aliud considerandum, ut videlicet sit aequalitas inter onus ipsum, quod noviter imponitur, & causam propter quam onus imponitur. Alloqui si onus multum excederet causam, ob id solum lex diceretur injusta ex defectu formae. Ut gratia exempli, si ob aliquam novam & veram regni necessitatem Principi occurrentem, novum aliquod subditis Princeps ipse imponeret tributum, juste faceret: si tamen tributum impositum sit majus quam vera regni necessitas exigit, injusta esset lex, per quam tale tributum imponitur, quia deficit forma, per quam non solum sunt onera inter subditos proportionaliter distribuenda, sed onera ipsa sunt etiam cum causa commensuranda, ne majora quam causa petit, imponantur. Et hoc probatur aperte per cap. Quia plerique, extra de immunitate Ecclesiarum, ubi taliter extorta ultra causae necessitatem, restitui mandantur, & tantumdem ultra pauperibus dari. Propter hanc legis justae defectum, constat injustam esse legem quae circa pauperum subventionem in diversis Christiani orbis provinciis a paucis annis condita est. Lege siquidem statuta decretum est ab illis, ut quaeque civitas suos tantum cives pauperes alat, & nullus pauper per varias civitates, aut diversas oppida vagari permittatur, sed quemque ad suam civitatem redire, & intra illam se continere cogatur. Hujus legis injustitia inde apertissime convincitur, quod necesse est, ut istius legis ordine servato, onus subventionis pauperum inaequaliter per civitates, & oppida distribuatur. Constat enim aliquas esse civitates parvas, quae plures intra se continent pauperes, quam aliae civitates magnae. Fier ergo necessario, juxta illam legem, ut centum divites, qui in civitate aliqua parva degunt, cogantur alere quingentos pauperes qui in illa morantur: cum tamen quingenti divites qui in alia civitate habitant, non incumbat forte nisi centum pauperibus subvenire. Quo eveniente, prout saepissime evenit, aperta committitur injustitia propter inaequalitatem oneris per varias civitates distributi. Si tamen contingeret tantam pauperum multitudinem ad civitatem aliquam propter divitiarum famam conflueret, ut illa civitas suos pauperes, simul cum forensibus alere non posset, tunc juste posset aditum forensibus pauperibus interdiceret, aut certum aliquem numerum praescribere, quem civitas posset simul cum suis civibus pauperibus alere. Nulla enim ratio patitur, ut propter alendos pauperes forenses, negentur necessaria alimenta pauperibus civibus. Si vero utrosque civitas alere posset, injustum esset aditum forensibus pracludere, & interdiceret. Ex eadem ratione convincitur, injustum esse modum, qui in aliquibus civitatibus, & oppidis Hispaniae, praesertim Regni Castellae, nuper inventus est, ad solvendum Regi ordinarium tributum illi debitum, quod in lingua Hispana dicitur *Pecho*. Tale enim tributum dividi solet per capita domorum omnium cujusque oppidi. Nobilibus, & Clericis tantum exceptis: & juxta proportionem divitiarum, quas quisque possidet, dividitur tributum, quod ab ipso oppido exigitur. Sed quia in tali tributi divisione non semper debita servatur proportio, plus exigendo ab eo qui parum poterat, & minus ab eo qui multum: ideo in aliquibus oppidis excoGITATUS est alius modus ad praedictum solvendum tributum, in quo eadem injustitia occultatur. Statuitur namque in praedictis oppidis quoddam extraordinarium tributum, quod in lingua Hispana dicitur *Sisa*. Et est aliquid

certum additum ultra pretium taxatum pro libra carnis, aut piscis: ita ut quilibet emens res illas, aut alias similes, teneatur dare aliquid certum ultra pretium pro rebus illis a populo constitutum. Pretium taxatum accipit venditor, qui est dominus rei, illud autem superadditum servatur ab eodem venditore ad solvendum tributum, quod Regi debetur. Hic modus distributionis ad solvendum tributum, convincitur esse injustus ex his quae supra diximus, quoniam juxta illum non servatur aequalitas proportionis, quae debet esse inter tributum quod redditur, & facultatem reddentis. Nam artifices, mechanici, ut futores, factores, & alii similes, quamvis paucas, aut mediocres habeant divitias, saepe habent multo majorem familiam, quam alii cives multo ditiores. Quia pro arte mechanica, quam exercent, oportet illos habere multos operarios, quos domi alere tenentur. Et inde sequitur, ut multo plures carnes, & pisces emere cogantur, quam alii cives qui sunt multo ditiores. Ex quo aperte convincitur, ut juxta praedictum modum distributionis, necessarium sit illos, quamvis pauperes sint, multo majus tributum reddere, quam alii, qui sunt valde divites. His igitur omnibus sic declaratis, dico, omnem legem quae aliquem horum defectuum paritur, esse injustam, ac proinde nullius hominis conscientia ad illius observationem obligari. Et idem profus dicendum erit de particulari quocumque superioris mandato, ita ut nullus inferior teneatur illi obedire, si illius mandatum propter aliquem defectum consistit esse injustum. Hoc tamen hac conditione intelligendum esse volo, nisi forte ex eo, quod legi, aut particulari praepcepto non obeditur, grave aliquod oriatur scandalum. Nam in multis casibus expediat legi injustae, aut praepcepto injusto obedire, propter scandalum evitandum. Ut gratia exempli, si Princeps tributum aliquod aperte injustum subditis imponeret, posset subditus, si absque scandalo hoc facere valet, Principi tributum negare, ut notant Doctores post Bartholum, in cap. primo de Constitutionibus. Si tamen id citra scandalum negare non potest, expediat magis tributum, quamvis injustum solvere, quam scandalum suscitare. Et in hoc casu intelligendum est quod ait Ambrosius in cap. Si tributum 11. quaest. prima. Quia etiam si nullum esset tributum a Principe impositum, teneretur quilibet civis divitiarum suarum partem, & forte aliquando eas omnes expendere ad tollendum grave regni, aut civitatis scandalum, praesertim si illud aliter tolli non possit, nisi per talium divitiarum oblationem. Nam hac, aut illa simili tam arcta necessitate urgente, praecipit Salvator hostes, unicuique ut jure suo cedat, si hoc inquit: (Matth. 5.) Qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo. Ad eundem modum etiam dico eum, qui injuste incarcerationatus est, posse absque culpa mortali carceres frangere, ut exeat, si aliter exire non potest. Quoniam praepcepto injusto, aut legi injustae (ut diximus) nullus parere tenetur: ergo poterit contra illius injustum praepceptum a carcere exire. Nec ipsa carceris effractio illi poterit ad culpam imputari, si aliter exire non potest. Quoniam vim vi repellere, omnia jura concedunt: ut dicitur in cap. Significasti, extra de homicidio. Et in cap. Si vero, de Sententia excommunicationis. Injusta autem carceris detentio est manifesta violentia: ergo licebit illam per aliam violentiam repellere. Et confirmatur: quia quilibet posset domum latronis, ubi violenter ab illo detineretur, effringere, si aliter exire non

ter Deum illis obediatur, quamvis dicat eas non posse illarum transgressores ad poenam aeternam obligare. Ut igitur haereticis respondeam, dico, illum esse intelligendum addere aliquid mandatis divinis, aut alteri scripturae sacrae, qui dicit aliquid esse mandatum divinum, quod vere non est, aut aliquam scripturam esse divinam, quae vere non est. At qui ad meliorem praecceptorum divinorum observationem aliqua praecipit, nec tamen illa dicit esse divina praeccepta, sed humana, & ideo praecipit ab eo, non quia Deus ea praeciperit, sed ut melius ea, quae Deus praecipit, observentur, is nihil vere addit in divinis: Et ideo nec agit contra praecceptum Dei praecipiens nihil suis mandatis esse addendum. Et hoc est quod Salomon in Proverbiis cap. 30. ait: *Omnis sermo Dei ignitus, clipeus est sperantibus in se. Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inventarique mendax.* Ecce quam additionem prohibet, eam scilicet per quam aliquod falsum mendacium additur. Ex huiusmodi sic addentibus ad divina mandata, aut ad sacras scripturas, eas depravando, & contumendo, detorquendo, prout haeretici facere solent, Deus minatur plagas diversas. Si quis, inquit ipse (Apocal. ult.) apposerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. His autem, qui addunt scripturis sacris expositiones, aut interpretationes, per quas melius illae intelligi possint, aut divinis mandatis addunt leges aut constitutiones ad illorum meliorem observationem, promittitur vitae aeternae praemium.

Tertio, suam opinionem probare conatur Joannes Gerfon, per hoc quod nulla humana potestas valet illi, qui ejus legem fuerit transgressus, poenam infligere aeternam, & inde putat ille necessario sequi, nullam etiam humanam potestatem posse condere legem, quae illius transgressorem obliget ad poenam aeternam. Quoniam (ut ille ait) nullus potest legem sub aliqua poena obligantem condere, nisi qui poenam illam potuerit transgressoribus infligere. Et quia hoc est, illius iudicio, fortissimum argumentum, cui ille innititur ad suae opinionis probationem, ideo illius infirmitatem & impotentiam aperte ostendere volo, ut inde constet super quam debile fundamentum suam stabilierit opinionem. Nam aperte falsum est id, quod generaliter assumit, neminem videlicet posse condere legem obligantem ad aliquam poenam, nisi qui poenam illam potuerit transgressoribus infligere. Hoc enim dictum in illis tantummodo veritatem sortitur, qui propria & non aliena auctoritate leges condunt. Et juxta hunc modum ego etiam fateor, nullum hominem posse propria auctoritate legem condere, obligantem illius transgressorem ad poenam aeternam. Et ob eandem causam, etiam nullus potest propria auctoritate sacramentum aliquod instituire; quia nullus homo potest gratiam per sacramentum designatam efficaciter alicui conferre. Illi vero, qui non propria, sed aliena & sibi ab alio delegata auctoritate leges condunt, saepe ad poenam obligant, quam ipsi minime possunt suae legis transgressori infligere. De qua re exempla aliqua, cum in rebus sacris, tum etiam in prophanis praefare valeamus. Aperta & ab omnibus Catholicis confessa est potestas, quam Praelati Ecclesiastici a Deo habent concessam, ad inferendum excommunicationem contra peccatorem rebellem atque protervum. Potest igitur Praelatus aliquid lege praecipere, tali conditione, ut qui legem fuerit transgressus, sit eo ipso excommunicatus. Multi enim similes canones sunt in jure canonico, cum tamen constet, effectum illius excommunicationis, qui inter alios est, hominem excommunicatum privari malis & non contemnendis

dis, bonis spiritualibus, nullum hominem posse efficere, sed solum Deum. Praeterea sacerdos recte ordinatus potest peccatorem sibi subditum, postquam illius audierit peccata, ab illis absolvere. Per quam absolutionem (ut verior Theologorum sententia docet, quam & ipse Gerfon tueretur) sacerdos poenitentem a poena aeterna absolvit, & eam in poenam temporalem tamquam Judex praecipiendo commutat. Hujus tamen absolutionis effectum sacerdos ipse praebere non potest: quia non potest illum virtute: & potentia sua a poena inferni eripere, nec poenam temporalem, in quam computavit aeternam, illi infligere. Deinde, summus Pontifex saepe ob aliquam justam causam concedit lege perpetua, ut quicumque hoc aut illud fecerit, veniam poenarum, quae suis peccatis debentur, consequantur. Ab hac tamen poena, non Papa, sed solus Deus efficaciter eripere potest. Sicut igitur homo potest legem condere liberantem a poena, quam ipse legislator virtute propria tollere non potest: quid obstat, ut e contrario legem condere possit obligantem transgressorem illius ad poenam, quam ipse legislator infligere non potest, sed ille solus, a quo potestatem talem legem condendi? Accedit ad haec, quod simile aliquid in politia humana fieri experimur, ubi aliqui habent potestatem condendi leges, quae transgressoribus illarum varias poenas minantur, cum tamen ipsi legislatores illas poenas infligere non valeant. Intellexi enim ego ipse Brugis in Flandria, cum illic per aliquot annos moram traherem, cum magistratum, qui Burgi magistris & Scabinorum nominibus comprehensus, ad regimen illius insignis oppidi a principe deputatus est, habere hanc a principe potestatem, ut quas viderint populo suo conducere leges, statuere possint. Poenas tamen corporales, quae per leges illas sunt contra illarum transgressores decretae, ille magistratus non potest ejusdem transgressoribus infligere, neque hoc alicui illorum ministro mandare: sed est quidam alius principis minister, vulgo dictus Scotetus, cuius officium est, eas corporales poenas executioni mandare, quae fuerint per magistratum decretae. Magistratus itaque leges constituit, princeps tamen aut ejus minister poenam mortis per legem decretam transgressoribus infligit: quia hoc civitatis magistratui concedere noluit, sed sibi soli servari decrevit. Simillimum est huic, quod de legibus humanis poenam aeternam obligantibus, haecenus diximus. Dedit Deus praelatis Ecclesiasticis & principibus secularibus potestatem condendi leges obligantes ad poenam aeternam, quamvis illis non concessit potestatem infligendi talem poenam aeternam, sed eam sibi soli servaverit.

Quod tandem argumentatur per similitudinem medici dicentis aegroti, cibum aliquem esse mortiferum, ut abstinere ab eo, nihil certe ad id, quod intendit, valet. Facteur quidem aegrotum peccare mortaliter, comedendo cibum mortiferum, de quo fuerat a medico admonitus, & medicum suo praeccepto non obligare sub poena peccati mortalis aegrotum, ut abstinere a cibo mortifero. Et hoc evenit inde, quod medicus non habet vim praecipientem erga aegrotum, sed solum virtutem & potestatem consulendi, & docendi illum quid agere debeat. Et si aeger aliquid noxium contra medici consilium fecerit, peccabit: non quia agit contra praecceptum medici, qui illi praecipere non potest; sed quia agit contra praecceptum Dei, praecipientis ut non occidamus nos ipsos, sicut nec alios. Hoc tamen habet aegrotus a medico, quod dicit ab illo, hujus aut illius cibi esum esse mortiferum, ac proinde lege divina prohibitum: quod nisi medicus docuisset, ipse profus igno-

ignorabat. Si aliqua est igitur similitudo inter morbos corporis & animae, medicum corporalem comparare poterimus viro docto, nullam penitus jurisdictionem, aut potestatem super virum idiotam habentem. Hic enim vir doctus admonens talem virum idiotam, ut abstinere ab aliquo peccato mortali, quod ille ignorabat esse peccatum, non obligat illum ad mortalem culpam, quia jam ille a Deo obligatus ad illam si fecisset, quamvis hoc ignorabat. Longe tamen aliter est in praelato, aut in Principe seculari, quia hic non solum habet potestatem ad consulendum, & docendum, & admonendum, sed etiam habet potestatem coactivam, & praecipientem. Nam illis oportet fieri, nullum superiorem habere majorem potestatem super subditos suos, quam habet vir doctus illos docens, aut admonens. Hoc autem quam falsum sit, nemo est sane mentis qui hoc non videat. Et inde apertissime constat, malam esse similitudinem inter medicum corporalem, & praelatum, circa ea quae ad salutem corporis ab uno dicuntur, & quae ad salutem animae ab altero praecipuntur.

CAPUT V.

Quomodo possit cognosci legem aliquam humanam obligare ad culpam mortalem.

EX his quae in proxime praecedenti capitulo diximus, forte aliquis rem male intelligens, colliget omnem legem humanam obligare illius transgressorem ad culpam mortalem. Quisquis autem sic senserit, non minus erroream tuebatur sententiam, quam illa Joannis Gerfonis a nobis supra enarrata. Nam ex hac sententia aperte sequitur, legem humanam majoris esse potestatis, & fortioris vinculi, quam sit lex naturalis, aut lex divina, quod nullus, nisi desperare velit, dicere audebit. Quod autem hoc inde sequatur, ex eo apertissime convincitur, quod multa sunt peccata, quae omnium iudicio censentur venialia, & illa necesse est dicere esse contra legem divinam. Quoniam cum illa non sint lege aliqua humana prohibita, consequens est, ut si peccata dicenda sunt, contra legem divinam esse dicantur. Praevocantem inquit Propheta, Psal. 118. *reputavi omnes peccatores terra.* At praevocantem esse legis transgressorem, testatur Ambrosius, sermone 15. super Psalmum 118. sic inquit: Praevocantem Latine, & transgressor vocatur, eo quod a lege Domini transeat ad errorem, & transgrediatur mandata coelestia, cui dictum est, ut adhaeret Domino Deo suo. Haec ille. Praeterea, Augustinus, peccatum definiens, dixit illud esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: ergo peccatum veniale, aut non erit dicendum esse peccatum, aut necessario oportebit fieri illud esse contra legem Dei. Rursum, aliqua sunt leges divinae, quarum transgressio non efficit hominem culpae mortali obnoxium: ergo non omnis humanae legis transgressio obligat illius transgressorem ad culpam mortalem. Assumptum probatur: quia praeter legem naturalem prohibentem mendacium Deus lege ab eo data, & per ministrum ejus promulgata mendacium prohibuit, dicens: *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.* Constat autem non omne mendacium esse mortale. Constat etiam verbum pure otiosum esse solum peccatum veniale, quamvis lege sua Deus decreverit de omni tali verbo otioso petere ab hominibus rationem. (Mat. 12.) Cum igitur ex his omnibus manifestum sit, non omnes humanas leges obligare illarum transgressores ad culpam mortalem, sicut nec omnes divinae leges obli-

gant ad eandem culpam, operaepretium me facturum existimavi, si ostenderem quo pacto dignosci possit, legem aliquam obligare ad culpam mortalem, aut venialem. Quae res cum nimium varia sit, non potest unica, & infallibili regula declarari, propter varias humanorum actuum circumstantias, quae saepe obligationem inducere, aut tollere possunt. Nam Medici etiam propter eandem causam non possunt unico, & indubitato documento ostendere omnes cibos, qui possunt homini mortem inferre corporalem. Aliquibus igitur documentis, sed quantum potuero brevibus, & apertis, rem hanc, juxta ingenii tenuitatem, explicabo. Nulla lex humana injusta potest aliquem in conscientia obligare. Haec regula, vel ex eo solo constat esse vera, quod longissime a ratione naturali distat, ut quis ad injustum aliquid in conscientia obligetur. Ad hujus tamen regulae clariorem intelligentiam oportet inquirere, quae lex injusta dicatur, quo sufficienter intellecto, inde aperte colligetur, neminem ad illam posse obligari. Et certe, si bene ea, quae supra cap. 1. legem definiens diximus, ad memoriam revocetur: facile cognoscetur quid sit lex injusta: quoniam ex defectu cujuscumque illorum quae diximus esse ad justam legem necessario requisita, lex eo ipso dicitur injusta. Nam (ut Divus Dionysius ait) bonum aliquid ex causa integra, malum autem ex particularibus defectibus. Omnes autem defectus, qui possunt legem reddere injustam, tribus nominibus comprehendit beatus Thomas, q. 96. art. 4. Primus est defectus potestatis, alter est defectus boni finis, tertius est defectus formae debitae. Et videtur mihi quod possit addi quareus defectus, qui sit defectus materiae debitae, qui defectus contingit, quando res, quae lege praecipitur, est mala. Nam legis obiectum, & debita materia oportet quod sit bonum aliquod. Sed hunc quartum defectum possumus propter reverentiam beati Thomae ad tertium defectum reducere, ita ut ibi sit defectus potestatis, propterea quod ad malum nulla est vera potestas, ut ipse sanctus Doctor dicit in 1. 2. quaest. 96. art. 4. ad 3. Ipse etiam sanctus Doctor dicit, legem humanam praeter illos tres defectus posse dici injustam per contrarietatem ad bonum divinum. De his omnibus defectibus sigillatim aliquid dicere oportebit. Primus ergo defectus, qui legem potest facere injustam, est, si deest potestas in ipso legislatore ad id statendum, quod lege decretum est. Et ratione hujus defectus, prout ego censeo, injusta censentur omnes leges humanae, quae aliquid contra legem divinam statuunt. Quoniam si patrem non habet imperium, ut dicitur in Clement. Exivi de paradyso, de Verbo signific. necessario sequitur, ut inferior in superiore habeat multo minus imperium. Si inferior in superiorem nullum habet imperium, consequens est, ut inferior non possit superioris legem irritam facere, aut aliquid contra illam statuere. Cui sententiae consonat id quod Salvator noster apud Matthaeum, cap. 10. ait: *Non est discipulus super magistrum, nec servus supra dominum suum.* Et ideo recte beatus Petrus dixit, Act. 5. *Obediendum magis esse Deo, quam hominibus.* Eisdem sententiae favet, quod Paulus dicit, (1. Cor. 10.) datam esse a Deo ministris ejus potestatem in edificationem, non in destructionem. Constat autem eum, qui aliquid contra legem Dei statuit, lege sua destruere velle id, quod Deus ante per legem suam edificare volebat. Omnis igitur lex humana, quae aliquid contra legem divinam statuit, ob defectum potestatis censetur injusta, &

potest: ergo etiam poterit carcerem, in quo iniuste detinetur, frangere, si aliter exire non valet. Consequenter inde constat esse bona, quod Principes, aut iudices iniuste, & per violentiam populum opprimentes, velut atrones apud Deum existimantur. *Principes tui* (inquit Deus (Esa. 2.) apud civitatem Hierusalem) *infideles, socii furum.* Et per alium Prophetam iterum ait: (*Ezech. 22.*) *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem.* Ergo sicut domum latronis, in qua quis per violentiam detinetur, potest infringere, quando aliter exire non valet, ita etiam poterit carcerem in quo iniuste detinetur frangere, si alius illi non patet exitus. Sed hoc (ut jam diximus) tunc solum facere licebit, quando grave ex hac re non immineret scandalum, aut magna turbatio. Quoniam tunc etiam si carcerem inveniret apertum, non liceret exire. Nam propter hanc causam (ut ego existimo) Paulus, & Syllas (*Act. 16.*) cum carcerem, in quo iniuste tenebantur inclusi, Deo operante semel invenirent apertum, & secundo iterum ex Magistratus precepto cuflos occulte aperiret, noluerunt exire, ne inde occasionem aliis praebent, putandi eos iuste fuisse in carcerem conjectos, & timore fugisse a carcere, propterea quod falsa praedicassent. Ideo libentius carcerem elegerunt, ut sic suam innocentiam probarent, & suae doctrine veritatem confirmarent. Eodem modo dicendum esse censeo de illo, qui per falsa testimonia damnatus est ad alicujus rei possessionem relinquendam, qui nequaquam iudici in conscientia obedire tenetur. Quoniam talis sententia, licet sit iusta ex praesumptione, qua praesumitur testis, vera dixisset, aut instrumenta fuisse vera: tamen sententia in rei veritate non fuit iusta, quia cum testimonium verum sit quaedam iustitiae pars, constat ex falsitate testimonii illam fuisse iniustam. Sententia autem quae ex sola praesumptione censetur iusta, non inducit naturalem obligationem, nisi veritas praesumptioni conveniat, ut docet Abbas in cap. primo de Constitutio. Et inde sequitur, ut is, cui talis iniustitia est manifesta, non teneatur illi citra scandalum in conscientia obedire. Et inde ulterius sequitur, ut qui per talem sententiam iniustam fuit re sua privatus, si aliter non potest dampnum sibi illatum rescire, poterit ab illo, qui per iniustam sententiam rem suam abstulit tantumdem clanculo furripere, quantum fuerat ab eo iniuste sublatum. Multa alia corollaria possent ex hac regula deduci, quae propter prolixitatem vivandam, prudenti lectori dimitto.

Secundum documentum. Nulla lex humana quantumlibet iusta sit, obligare potest illius transgressorem ad culpam mortalem, nisi sit circa materiam talem, quae possit sufficientem causam praebere ad injungendam talem obligationem. Haec regula evidenter probatur, quia legislator nihil sine legitima causa, & ratione praecipere potest: alioqui (ut Aristoteles docet 5. & 8. Ethicorum) censetur tyrannus. Nam (ut dicitur in Clementina, Pastoralis, de Re iudicata) Princeps non potest sine causa legitima rerum dominia ab uno tollere, & alteri dare. Et inde sequitur etiam, ut aliud simile sine iusta causa praecipere non possit. Quod autem dicitur in l. 1. ff. de Constitutionibus Principum. Quod Principi placuit, legis habet vigorem, intelligendum est, si iusta adsit voluntatis causa; alias sola voluntas Principis sine causa legitima non poterit aliquem in conscientia obligare. Quod vero dicit glossa in l. Legati, ff. de Penis, magnam esse rationem in Principe solum ejus voluntatem, si aliquid veritatis habet, in foro exteriori tantum illud veritatem ha-

bere censeo. Ita ut a Principe non sit ratio legis ab eo statuta petenda, sed sola ejus voluntas pro ratione sufficere debeat. Quia semper praesumendum est pro Principe, nihil illum sine causa, & sine ratione facere. Aliud tamen in foro conscientiae est necessario dicendum, quia ibi non praesumptioni, sed veritati standum est, quando illa cognosci potest. Potest adhuc illa secunda regula nunc proxime a nobis data probari ex ratione naturalium, quia longissime a ratione naturali distat, ut de quacumque re levissima possit ab homine statui lex, aut dari praecipium obligans illius transgressorem ad mortalem culpam. Quoniam si ita res haberet, multo major & crudelior esset politia spiritualis severitas, quam politia corporalis: & peior, atque miserior esset animae in hac vita subjectio, quam corporis. Nam lex humana in corporali, & mundana politia non potest pro aliqua levi culpa hominem ad mortem corporalem obligare: ergo in politia Ecclesiastica, & spirituali non poterit lex pro qualibet etiam levi culpa hominem ad mortem spirituales ordinare. Consequenter ista probatur auctoritate Augustini, qui libro vigesimo primo de Civitate Dei, cap. 11, mortem spirituales in politia spirituali, comparat ad mortem corporalem in politia mundana, sic inquit: „ Mortem est de ista civitate „ mortali homines supplicio primae mortis, hoc est, de „ illa civitate immortalis homines supplicio secundae mortis auferre. „ Haec Augustinus. Sicut ergo in politia mundana nulla lex morte punit aliquem nisi pro gravi Principis, aut reipublicae offensa, ut est crimen laesae majestatis, aut crimen haereseos, aut grave furtum, aut homicidium, aut aliquod aliud simile peccatum: ita etiam nulla lex poterit aliquem obligare ad mortem spirituales, nisi pro re magni momenti, quae scilicet valde Deum, aut proximum offenderet. Et huic sententiae favet Richardus de Sancto Victore in tract. de differentia peccati mortalis, & venialis: qui peccatum mortale per distinctionem definiens, haec ait: Mortale peccatum, quantum mihi videtur, triplici ratione distinguitur. Mortale est, quod a quovis non potest committi sine gravi laesione sui. Item mortale est, quod non potest committi sine gravi laesione proximi. Mortale nihilominus, quod non potest committi sine magno contemptu Dei. Caetera vero omnia videntur mihi venialia. Haec Richardus. In quibus verbis id potissimum advertendum est juxta illius sententiam, gravem semper oportere esse rem, & vehementer aut noxiam, aut offensivam, circa quam peccatum possit mortale committi: modicam, & levem proximi offensionem, prout est levissima injuria, aut levissimum furtum, aut levis percussio a levissima ira procedens, dicit non esse peccatum mortale, sed veniale. Ex hac regula infero, multas esse leges in jure civili, quae obligare non possunt illarum transgressores ad peccatum mortale, quia res circa quas versantur, & de quibus disponunt, non sunt tanti momenti, nec sunt reipublicae tam necessariae, ut propter illarum omissionem iuste debeant homines mortem incurere aeternam.

Ex hac regula convincitur pessima ignorantia, & crassa aliorum praelatorum, praesertim Religiosorum, qui putant se posse subditis suis quicquid voluerint cum obligatione ad culpam mortalem praecipere. Et ex hac crassa ignorantia evenit, ut saepe praecipia praecipis addant innumera, & pro levissima causa, quae parum, aut nihil ad religionis observationem faciat, obedientiae necessitatem injungant. Summa enim sanctitas est, si praelatus putet se posse subditos obligare ad culpam mortalem propter

fo-

folam silentii violationem, aut propter tardam ad Missam accessum, aut propter solam unius lactuce sine licentia manducationem, aut propter aliam similem levem causam. Haec enim omnia, & his similia, ex se & ex natura sua non sunt tanti valoris, nec illarum simplex omisio potest tam graviter Religioni nocere, ut propter illa sit merito Religio ad mortem aeternam obliganda. Possit tamen his parvis rebus talis circumstantia, & tam gravis conjungi, ut puta grave scandalum Religiosis, aut magna occasio transgressionis votorum. Regulae suae professionis, quod merito possit praelatus res illas sub interminatione gehennae prohibere. Non quidem propter res ipsas, quae revera tanti meriti non sunt, sed propter gravem circumstantiam illis ex accidenti conjunctam. Illis autem praelatis, qui passim & de rebus levibus praecipia cum necessitate obedientiae imponunt, convenit apertissime id, quod Deus per Ezechielem Prophetam cap. 34. olim Judaeae pastoribus & praelatis dixit: *Cum auferatis imperabitis eis, & cum potentia.* Et illud Salvatoris nostri: (*Matth. 23.*) *Imponunt onera gravia & importabilia.* Nonne onus est grave & importabile, pro modica & levissima re passim injungere praecipia necessitatem sub interminatione gehennae?

Tertium documentum. Si lex aliqua iusta obligat illius transgressorem ad culpam mortalem, propter justam causam, quae tunc aderat, cessante tali causa, cessabit talis obligatio ad culpam mortalem. Ut gratia exempli, si propter grave scandalum, quod inde verisimiliter timeretur, praecipere praelatus sub obligatione ad culpam mortalem, ne aliquis Religiosus accedat ad hortum communem. Convenit, aut ne accedat ad talem aut talem saecularis hominis domum, etiam cum licentia sua exierit extra conventum, aut ne eum tali aut tali persona loquatur, quoties scandali occasio manet, ipsa etiam obligatio ad culpam mortalem manet. Si vero scandali occasio est prorsus ablata, tunc obligatio praecipii ad culpam mortalem erit penitus nulla, etiam si ipse praelatus non revocaverit praecipium suum, sed velit adhuc manere cum eadem obligatione, qua prius. Probatur hoc documentum, quia si a principio, quando tale dedit praecipium, nulla scandali occasio, aut alia similis iusta causa fuisset, non potuisset (ut in secundo documento diximus) per praecipium suum obligare ad culpam mortalem: ergo nec etiam modo potest obligare, quando ea, quae fuit iusta causa, cessavit. Consequenter patet per id, quod dicitur in regula juris. Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Sed obligatio ad culpam mortalem orta est, propter solam occasionem scandali vitandam: ergo illa occasione prorsus ablata, talis obligatio ad culpam mortalem protinus dissolvetur. Et expressius probatur per id, quod dicitur in cap. Cum cessante, extra de appellationibus. Cessante causa, cessat effectus. Sed potissima & principalis causa inducendi obligationem ad culpam mortalem, fuit occasio scandali: ergo illa causa cessante, etiam cessabit obligatio ad culpam. Nec refert, an lex exprimat ipsam causam motivam, an illam subiecit: quia si causa ipsa potuerit taliter cognosci, quod indubitata ratione cognoscitur esse illa & non alia, idem erit dicendum, ac si illa aperte exprimeretur. Ita docet Panormitanus in cap. Quia plerique, de immunitate Ecclesiarum, & citat pro se Cinum in l. non dubium, C. de legibus, & Baldum in l. Maximum vitium, C. de liberis praeteritis. Et videtur mihi ad hujus sententiae probationem posse adduci argumentum ex cap. Post translationem, extra de re-

Tom. II.

nuntiatione. Nam in illo cap. citatur quoddam decretum Concilii Constantinopolitani, in quo decreto, cum nulla referatur illius causa, tamen Innocentius tertius causam decreti ex verisimilibus rationibus in illo cap. coniciens, declarat illam in casu illius capituli cessare, ac proinde illius Concilii decretum in illo casu non obligare. Sed in hac parte necessarium censui admonere lectorem, ne facile iudicet causam legis aut praecipii motivam cessasse, ut inde putet se non teneri ad legis aut praecipii obligationem. Quoniam saepe contingit, patrem causae cessare, & non totam causam: ut autem legis obligatio cesset, non satis est partialem causam cessare, sed opus est, ut tota causa cesset, nisi forte partialis causa talis esset, quod solum ab illa legis aut praecipii obligatio pendebat; ita ut omni alia seclusa, illa per se sufficeret inducere obligationem, & sine illa nulla alia hoc facere possent: Et hinc oritur, ut licet aliquis per virtutum exercitia carnem suam plene subiecit spiritui, nihilominus ad Ecclesiastica jejunia observanda teneatur. Quia repressio carnis non est sola causa, propter quam indictum est ab Ecclesia jejunium, sed sunt aliae, ut puta elevatio mentis in Deum, augmentum meriti & praemii, quae satis sunt ad obligationem jejunii imponendam.

Ex hac tertia principali regula infero multa tributa, quae olim in conscientia debebantur, nunc in conscientia non debent, quamvis lege adhuc manente, talia tributa exigantur. Hoc corollarium probatur manifeste per hoc quod circa multa tributa, quae in variis Principibus & Regnis a diversis Principibus extigunt, non extant illa iustae causae, propter quas constat talia tributa fuisse olim imposita, aut si illa iustae causae extant, ipsi tamen, qui tributa exigunt, non praestant id, propter quod constat talia tributa fuisse a principio concessa. Unum ex multis, quae communi doctorum sententia requiruntur ad tributum iustum imponendum, est iusta causa, quae sit communis & non privata. Alioqui si pro utilitate privata imponeretur, pura tyrannis diceretur. Si aliqua istarum causarum addit, iuste potest ab Imperatore, aut a Rege tributum moderatum imponi, causa tamen cessante, tributum iniuste exigetur. Ut gratia exempli, si ad constructionem pontis, aut murorum civitatis, aut alicujus arcis ad tutelam Regni necessariae, tributum imponatur, consummatis huiusmodi aedificiis, non poterit jam illud tributum exigi. Si pro maris tutela & defensione imponatur a Principe tributum pro expensis faciendis, ut securi sint a piratis navigantes, non poterit postea tributum illum exigere, si piratis existentibus, ipse nullam praebet navigantibus contra piratas defensionem. Quia cessante iusta causa, propter quam constat impositum fuisse tributum, oportebit cessare tributum. Si vero piratae non essent, quamvis Princeps nullum laborem nullasque expensas maris tutelae tribuat, poterit nihilominus Rex tributum consueta, & huic rei destinatum, exigere, si ille paratus est, quoties opus fuerit, navigantes a piratis tueri. Et juxta hunc modum dicendum est in reliquis omnibus tributis, quorum impositionis causa cognoscitur esse iusta, ita ut illa protinus cessante, cesset etiam iusti tributi obligatio. Et tunc poterit subditus sine ulla peccati scrupulo Principem de tali tributo fraudare, non obstante lege per eum lata de tali tributo solvendo. Hoc expresse docet Abbas in cap. 1. de constitutionibus, & citat Bartholum idem dicentem in leg. vectigalia, ff. de publicanis. Et ratio est manifesta, quia cessante iusta causa tributi, cessat etiam obligatio ad parendum in conscientia legi praeci-

Xxx

pienti

cienti illud solvere; nisi forte propter scandalum evitandum (ut in declaratione primæ regulæ dixi) ad illud solvendum teneretur.

Quia in duabus regulis proxime præcedentibus differimus de lege humana iusta, & de re gravi statuente: nunc superest, ut de lege humana, & de re gravi aliquid decernente differamus, de qua quartum a seipso documentum, quod tale est, Lex humana iusta & de re gravi aliquid statuens, obligat illum transgressorem ad culpam mortalem aut venialem, juxta variam legislatoris voluntatem, quæ ex variis ipsius legis verbis conjici potest, & non aliunde: nisi forte ipsemet legislator. posset de hac re consuli, & suam voce exprimere voluntatem. Prima hujus regulæ pars consistit ex ipsa legis definitione, quam in primo hujus operis capite dedimus. Nam (ut loco illo diximus) ex ipsa legislatoris voluntate pendet legis obligatio, si cætera adiant, quæ in regulis præcedentibus diximus esse necessaria ad obligationem inducendam. Si ipse legislator non intendit obligare ad culpam, etiam si verba ipsius legis videantur inducere obligationem, namquam lex illa virtute sua transgressorem illius obligabit ad culpam, sed si subditus obligatus erit ratione conscientie suæ, quæ judicat illie esse culpæ obligationem, quamvis revera non sit. Sed in tali casu, ubi legislator non intendit ad culpam obligare, oportet, ut hanc verbis apertissimis exprimeret intentionem, ne forte aliqui ob verborum ambiguitatem male legem interpretentur, & putent culpam esse, ubi culpa non est. Ideo ad hos scrupulos evitandos, caute & prudenter provisum est in statutis fratrum Minorum, & fratrum Prædicatorum, nullam per illa statuta induci obligationem ad culpam, præter illam quæ ex jure divino aut jure naturali fuerit alias inducta. Ad eundem modum dicendum est in excommunicationibus, quæ inferuntur, ita ut si superior aliquis Prælati præcipere aliquid sub pena excommunicationis eo ipso incurrendæ, intentionem tamen excommunicandi non habens, quamvis subditus prælatum hujusmodi transgredere, & existimare prælatum habuisse intentionem excommunicandi, nullam tamen propter hoc incurreret excommunicationem. Et forte circa excommunicationes inferendas sæpe ita facere oporteret, ut solum ad subditorum animos timore excommunicationis coercendos, excommunicatio solis verbis sine intentione ligandi inferretur. Quoniam talis (ut dixi) etiam si putaret cum plena intentione ligandi fuisse illarum excommunicationem, nunquam tamen ob hoc erit excommunicatus. Et inde colligitur lacum esse discrimen inter conscientiam errantem circa obligationem ad culpam, & conscientiam errantem circa excommunicationem. Quia ex errore conscientie de obligatione ad culpam, oritur culpa, quæ errore secluso, non esset: ex errore autem de sola impositione excommunicationis non oritur excommunicatio. Causam hujus discriminis facile quisque intelligit, si prius recte cognoverit unde provenit, quod agens contra conscientiam erroneam peccet. Non enim oritur hæc obligatio ab ipsa conscientia tanquam à primâ & totali hujus obligationis causa: quia tunc, sicut faciendo bonum, quod credit esse malum, peccat: ita è contrario faciendo malum, quod credit esse bonum, recte ageret. Hoc autem esse manifeste falsum, aperte convincitur per id quod Dominus prope mortem suam Apostolis prædixit: (Joann. 16.) Venit hora, inquit Salvator noster, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se sequitur præstare Deo. Constat autem, illos sic arbitantes peccasse, tantum abest, ut opus illorum fuisset censendum bonum. Satis superque tribuimus ignorantie, si concedimus, illam excusare à culpa. Non est tamen illi tantum tribuendum, ut quod alias malum fuisset, sola ignorantia valeat reddere bonum. Potissima igitur ratio, ignorantia valeat reddere bonum, quod agit contra conscientiam erroneam, est contemptus Dei. Nam qui facit id, quod errore deceptus putat esse contra legem Dei, eo ipso Deum quodammodo contemnere videtur: & ideo peccat propter solum contemptum Dei, saltem interpretativum, quem sic operans habet. Ita docet B. Thomas in 1. 2. q. 19. art. 5. in responsione ad tertium principale argumentum. Eidem in hac parte consentit S. Bonaventura in secundo sentent. dist. 39. art. 1. q. 3. Hoc facto fundamento, facile est videre discrimen, quia contemptus Dei sufficit obligare contemnentem ad culpam mortalem, & non sufficit de se solo reddere excommunicationem. Non enim omnis qui Deum contemnit, est eo ipso excommunicatus, sicut est eo ipso culpæ mortalis reus. Verum est non sic excommunicatus, propterea quod facit opus, cui talis putat esse annexam excommunicationem, tamen erit obligatus per suam conscientiam erroneam, ut abstineat ab his, à quibus excommunicatus abstinere tenetur. His igitur sic conclusis, ad nostræ disputationis caput orationem reducens, dico, ex sola legislatoris intentione pendere legis justæ obligationem ad culpam. Hæc autem intentio vix alio modo quam per verba legis potest agnosci, nisi forte ipsemet legislator posset consuli, ut suam voce exprimeret voluntatem. Consequens igitur est, ut verba legis diligenter scrutemur, si scire volumus plenam legis virtutem & potestatem, an scilicet illa obliget illum transgressorem ad culpam mortalem, an ad culpam venialem. Sed certe (ut verum fatear) ex sola verborum legis consideratione, nullus poterit hanc legis virtutem exacte agnoscere: quia non omnes legislatores, cum leges condunt, utuntur eadem verborum proprietate, & stricta illorum significatione. Nam eo verbo, quo frequenter omnes uti solent ad designandam obligationem ad culpam mortalem, aliqui uti sunt ad culpam culpam venialem manifestandam: alii vero è contrario, culpæ mortalis obligationem eo verbo significare voluerunt, quo in communi usu nulla, aut saltem sola venialis, solet culpa designari.

De qua re (ut alia multa omittam) est apertum exemplum in cap. Rogo. 11. quæst. 3. ubi illud verbum, Rogo; ut glossa illic annotat) ponitur ad præcepti necessitatem designandam. Et è contrario hoc verbum, Mando, in cap. Guilielmus 24. quæst. 2. non præcepti necessitatem: sed juxta illius glossæ sententiam, solum exhortationem significat. Cum igitur non sint per legem præfixa & declarata omnia verba, quæ obligationem ad culpam mortalem significare possunt, aliqua quæ ex jure colligi possunt, explicare decrevi.

Quidquid in jure canonico statuitur per verbum præcepti, aut æquipollentis præcepto, denotat illius canonis transgressionem esse culpam mortalem. Hæc aperte colligitur ex Clementina. Exivi de paradiso. §. cum autem. Nam Pontifex in illo loco non dicit hoc esse peculiare in regula fratrum Minorum, quem tunc interpretatur: sed ad illius interpretationem præsupponit culpam ex jure manifestum, quod verba significantia præceptum, & verba illis æquipollentia, habent vim exprimendi obligationem ad culpam mortalem. Nec tamen ex hoc, quod ita sit semper in jure Canonico, inde inferendum est, ut in omnibus aliis statutis ita sit semper necessario intelligendum. Nam in lege divina multa sunt verba præcepti

posita, quæ tamen non obligant ad mortale, sed solum ad veniale. Ut, gratia exempli, quando Christus Salvator noster præcepit discumbere. (ut Marcus ait cap. 8.) eos, qui septem panibus ab eo erant refecti: Et discipulis jussit, ut paucos, quos habebant, pisciculos apponerent: Et multis infirmis ab eo curatis, præcepit ut nemini dicerent. Nullus autem sanæ mentis dicit, Christum Salvatorem nostrum in illis omnibus præceptis obligasse illos, quibus præcipiebatur, ad culpam mortalem. Lex enim divina non est cogenda & declaranda juxta illas regulas, quas jus humanum circa intelligentiam suarum legum dedit. Nec etiam hæc regula circa intelligentiam aliarum legum humanarum semper necessaria servanda est, sed solum in illis, quæ sunt de jure canonico. Quia forte apud alios statuente non est tanta vis illorum verborum, ut semper capienda sunt verba in illa significatione, quæ communiter utuntur hi, apud quos est data lex, aut conditum statutum. Verba præcepti (pro ut nunc capimus præceptum) sunt, præcipio, mando, jubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdicto. Verba æquipollentia præcepto sunt, debeant, teneantur necessario, necesse est, non licet, non potest. Et hujusmodi alicui verbo ex omnibus prædictis adderentur, sicut sæpe addi solent, sequentia verba, videlicet in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub interminatione gehennæ, apertissime declaratur obligatio ad culpam mortalem. Abbas in cap. Vestra, de cohabitatione clericorum & mulierum, dicit, omne illud, quod ponitur per verbum imperativum, æquipollere præcepto. Quæ sententia, si vera esset, valde magnum nobis faceret numerum præceptorum, & tam duram nobis faceret legem Dei, ut pene esset intolerabilis, cum tamen Dominus dicat (Math. 11.) esse jugum suave, & onus leve. Sed aperte convincitur illam esse falsam, per hoc quod juxta illius sententiam omnia, quæ sub consilio dantur, essent dicenda præcepta. Quia omnia consilia evangelica data sunt à Christo per verbum imperativum. Hoc verbum, oportet, non semper eandem ostendit obligationem, quia aliquando dicit necessitatem præcepti, ut in cap. 1. de præscriptionibus, lib. 6. Aliquando dicit solum rationis congruentiam & honestatem, ut in cap. 1. 25. quæst. 1. Et ideo non est recensendum inter verba æquipollentia verba præcepti, sicut quidam modernus Doctor illud inter illa enumeravit, in Codice de penitentia, in materia de jejuniis. Si verba talia sunt, quæ non indicent aperte præceptum, nec æquipollentia verba præceptivis, qualia sunt ista, decernimus, statuimus, ordinamus, volumus, facimus, tunc diligenter advertendum est, an pena aliqua ibidem statuat contra transgressores; quæ si talis est, qualis non nisi pro peccato mortali infligi potest, ex illa pena adjuncta convincitur, intentionem legislatoris fuisse obligare transgressorem ad culpam mortalem. Quoniam si talem intentionem non habuisset, injuste talem penam adversus legis transgressorem statuisset. Penæ hujusmodi sunt, excommunicatio, degradatio, privatio ecclesiasticæ sepulture, mors, carcer perpetuus, confiscatio omnium bonorum, infamia. Certum est, nullam istarum penarum pro alio peccato quam mortali posse juste infligi. De irregularitate vero & suspensione ego valde dubito, an sint inter similes penas recensendæ, propterea quod illæ aliquando pro sola culpa veniali, aliquando sine ulla culpa imponuntur. Si post has omnes regulas à nobis datas, & bene à lectore circumspectas, illi non plene confiteri de lege, an obliget ad culpam mortalem, an non, tunc monero illum, ut licet vir doctus sit, non dedignetur alios

viros doctos de hac re consulere: & advertat, quod non omnia possumus omnes. Quod si alios quos consulti, videret etiam de illa re dubitare ut ipse, consulo, ut tutiorem procuret eligere partem: ut videlicet ita se habeat circa ipsius legis observationem, ac si illa obligaret ad peccatum mortale.

Quintum documentum. Si de lege humana iusta semel confiteri, illam obligare ad culpam mortalem, non inde colligendum est, illam semper & ubique eandem vim & potestatem obligandi habere. Probatur hæc regula multipliciter, & primo per id quod in tertia regula dictum est, cessare videlicet obligationem legis, cum tota causa, unde lex vim suæ obligationis sumpsit, cessaverit. Præterea, sæpe circa leges humanas fit iusta dispensatio, ut puta quoties casus occurrerit, in quo ratio docet, credendum esse legislatorem noluisse legem suam tunc obligare. Nam Aristoteles in quinto Ethicorum, cap. decimo, docet, leges debere disponere de his, quæ frequentes, & ut in plurimum sunt, & non de his, quæ raro contingunt: & si aliquid præter id, quod legislator intenderat, acciderit, tunc contra legem agendum esse censet, sic inquit, Lex in universum omnis statuitur, nec fieri potest, ut recte de quibusdam in universum definitur. In quibus enim necesse est, ut in universum dicatur, recte autem id non potest, lex id sumit, quod ut plurimum fit. Et paucis interpositis, subdit. Quando igitur lex in universum dixerit, & præter universale posita quippiam contigerit, tunc recte se habet, si qua legislator omisit, absoluteque ac simpliciter loquendo, peccavit, corrigatur defectus: id quod legislator, etiam ipse si adisset, dixisset; & si scivisset, ita præscriberent legem instituisset. Hæc Aristoteles. Et hæc Aristotelis sententiæ consonat, quod ait Jusconsultus Julianus illa leg. Neque leges, & in leg. non possunt, ff. de legibus. Quando particulare aliquid præter legem acciderit, quid nunquamque agere oporteat, docet B. Thomas in secunda secunda, quæst. 147. Si causa (inquit ille) sit evidens sua auctoritate, potest quisque licite contra legem agere, præsertim consuetudine interveniente, vel si non possit facilis recursus ad superiorem haberi. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi. Et hoc dicit esse observandum in jejuniis ab Ecclesia institutis, ut si causa non jejunandi sit manifesta, quisque circa seipsum dispensare possit: si dubia, recurrere debeat ad superiorem. Et idem prius dicendum erit de quacumque alia lege humana. Et inde apertissime probatur, quod quinta regula dicit, nullam videlicet legem humanam, quatenus talis est, semper & ubique habere eandem vim & potestatem obligandi, quia casu manifestæ necessitatis occurrere, poterit quisque secum dispensare, nisi forte propter scandalum vitandum oporteat recurrere ad superiorem. Si quis vero objiciat, nemini nisi Principi licere legis interpretationem dare, ut dicitur in leg. 1. C. de legibus & constitutionibus Principum: huic objectioni respondet B. Thomas in secunda secunda, quæstione 120. art. 1. intelligendum esse id, quod lex illa dicit, in rebus dubiis, in quibus non licet absque determinatione Principis à verbis legis recedere. Sed in manifestis dicit non esse opus interpretatione, sed executione. Potest etiam dici verum esse in solo foro exteriori id, quod Imperator Constantinus in illa lege ait, ita ut in illo foro nemini nisi Principi liceat sententiam contra legem dicere; secus autem in foro conscientie, ubi quisque secum potest in re manifesta dispensare. Rursum, potest esse dispensatio aut

interpretatio in lege divina & naturali: ergo multo iustus poterit dispensatio fieri in lege humana. Consequencia est manifesta, & assumptum probatur multis exemplis. Maritus lege divina & naturali tenetur reddere debitum conjugale uxori potestatis; si tamen maritus infirmatur, non tenetur, ut omnes Theologi docent, quia magis tenetur ad conservationem propriæ personæ, quam ad reddendum debitum. Et ita convincitur, legem divinam & naturalem in casu illo particulari non obligare. Qui votum de suscipiendi monachatu emisit, lege divina & naturali adeo tenetur ad reddendum, ut propter solam moram redditionis peccare dicatur. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, inquit ipse Deus (Deut. 23.) non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, repudiet tibi in peccatum.* Si tamen post votum emisum eveniat gravis patris indigentia ad victus sustentationem, cui filius potest succurrere, non solum licet illi, immo tenetur (ut omnes Theologi fatentur) non intrare in Religionem, quosque satisfacere patris indigentiae, etsi aliter Religionem intraret, peccaret: ut notatur in cap. si qui filii, dist. 30. Juramentum promissorium ex lege divina & naturali tenetur quisque servare, propter id quod Dominus in libro Numerorum cap. 30. ait: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciat irritum verbum suum: sed omne, quod promisit, implebit.* Tamen si talis casus eveniret, qui aperte ostenderet implentionem juramenti esse majoris boni impedimentum, non solum liceret ei qui juravit, immo teneretur non implere juramentum, ut colligitur ex cap. antecessor. 11. quasi. 3. Lex naturæ docet fidelitatem in deposito, reddendo esse servandam: si tamen furiosus repetat gladium, vel qui sanæ mentis est, repetat ad patriam invadendam, non est reddendus gladius. Quia magis tenetur consulere patriæ, & domini furiosi incolumitati, quam gladium illi reddere. Ergo cum similes casus circa leges humanas occurrerint, poterit quisque, si res est manifesta, aut legem per se interpretari, aut propria auctoritate in illa secum dispensare. Si res fuerit dubia, hoc auctoritate superioris (ut Thomas docet) faciet. Quocumque autem istorum modorum fiat, probabit verum esse, quod in hac regula dicitur, legem humanam non semper & ubique eandem potestatem obligandi habere, & cognoscet in multis necessariam esse legis dispensationem, aut interpretationem. Alioqui dicit illi Sapiens: (Eccl. 7.) *Noli esse nimium iustus.* Et iterum: (Proverb. 30.) *Qui vehementer enungit, elicit sanguinem.* Et poeta Comicus dicit: *Summum jus, summa injuria.* Et certe, qui ita faciendum esse noluerit credere, in multa absurda & animæ suæ noxia incidet, & sæpe adeo perplexus erit, ut quocumque se verrat, necessario in culpam aliquam incidat, cogente illum ad hoc conscientia illius erronea.

Sextum documentum. Lex humana iusta, etsi non semper obliget sub interminatione gehennæ ad faciendum id, quod per illam decernitur, semper tamen sub hac interminatione obligat, ne lex illa contemnatur. Ut autem hæc regula apertior fiat, & sic ejus veritas clarius pateat, oportet prius declarare quid sit contemptus. De qua re aliter juris humani periti, aliter Theologi sentiunt. Joannes Andreas in cap. saceris, de his quæ vi metusve causa fiunt, videtur dicere, frequentiam actuum esse quemdam contemptum. Nam dicit eum, qui frequenter communicat cum excommunicato, peccare mortaliter, propter solam frequentiam: quod non dixisset, nisi putaret talem frequentiam esse contemptum dicendam. Collectarius in

cap. 1. de constitutionibus, dicit, omnem illum peccare ex contemptu, qui ex frequentia legem transgreditur. Quæ sententia nimis scrupulosa mihi videtur, & constat illam procedere ex ignorantia significationis hujus vocis, contemnere. Et ut falsitas hujus sententiæ clarius constet, peto quot actus sufficiunt facere frequentiam. Si forte dicas sex, aut octo, aut decem, & non minus; clarum est, quod quintus actus est ejusdem speciei in genere moris cum actu 6. & 7. cum 8. 9. & cum 10. quia sola iteratio actus non variat speciem, si nihil aliud ex parte operantis addatur, quod faciat ex veniali mortale. Et inde aperte sequitur, ut si primus actus non erat peccatum mortale, nec decimus actus sit dicendus peccatum mortale, nisi aliud ultra reiterationem addatur. Deinde, multa sunt venialia ex genere suo, sine quibus vita hæc misera agi non potest, propter nimiam hominis fragilitatem: de quibus Sapiens ait: (Prov. 24.) *Septies in die cadit iustus.* Si frequentia faceret mortale quod alias erat veniale, sequeretur etiam, non posse hominem in hac vita diu esse sine peccato mortali, etiam cum communi gratiæ baptismalis auxilio. Quia etiam cum illius adjutorio septies homo cadit in die. Fateor quidem, ipsam frequentiam disponere ad contemptum, proat beatus Thomas docet in secunda secundæ, questione 186. art. 9. in responsione ad tertium. Et sic intelligendum dicitur illud Salomonis (Prov. 18.) *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et juxta hunc modum ego etiam intelligendum puto, quod Augustinus ait: Ebrietas si assidua fuerit, inter mortalia deputatur. Et eodem modo intelligo illud ejusdem Augustini, quod citatur à Gratiano in cap. Verum orarium, §. criminis appellatio, distinctione vigesima quinta. Nul- lum peccatum est adeo veniale, quod non fiat mortale, dum placet. Hæc omnia ideo Augustinum dixisse censeo, quia ipsa peccati venialis frequentia, viam aperit latissimam, per quam peccatum mortale intrat in animam. Non enim hoc ideo dicit Augustinus, quia putaverit solam frequentiam actus sufficere, ut quod alias erat veniale, fiat mortale. Sed quia fieri non potest, quin is, qui frequenter inebriatur, aliquando sciens & volens inebrietur: quod cum eveniret, sine dubio erit peccatum mortale. Quia cum sæpe expertus fuerit virtutem vini, & suam fragilitatem, noluit a vino abstinere. Ideo forte potuit esse, ut hi jurisperiti, quos proxime citavimus, dixerint frequentiam transgressionis legis esse contemptum interpretativum tantum. Sed si ita senserunt, convincitur adhuc falsam esse illorum sententiam, qua docent, talem frequentiam esse dicendam peccatum mortale. Quoniam etsi in foro exteriori multa ex sola presumptione agantur; in foro tamen conscientie nihil ex sola presumptione agendum est, sed semper juxta veritatem, quæ merito præfertur presumptioni; Archidiaconus in cap. excellentissimus, undecima questione dicit eum qui sine causa communicat excommunicato, communicare ex contemptu. Quæ sententia multo durior & falsior mihi videtur, nisi forte nomine causæ intelligat ignorantiam, & infirmitatem, sive carnis concupiscentiam: ita ut omne peccatum, quod committitur ex certa scientia, & sine carnis concupiscentia, dicatur peccatum ex contemptu. Sed si hoc tale dicatur semper esse mortale, falsa erit sententia: quia aliquod mendacium jocosum aut officiosum potest dici ex deliberatione, & sine ulla carnis sollicitatione, quod tamen nullus umquam sapiens fatebitur esse mortale. Theologi rem hanc, & veram vocabuli significationem diligentius scrutantes, longe aliter sentiunt. Guillelmus Altifiodorensis lib. 2. suæ sum-

summæ Theologicæ, tract. 19. & 20. & lib. 3. tract. 9. distinguit varios modos, quibus aliquis dici potest contemnere. Primo modo dicitur rem contemnere, qui illam non juxta illius valorem, & meritum æstimat; & juxta hunc modum (ut ille ait) sumitur, cum dicitur, quod humilis seipsum contemnit, & quod superbus contemnit alios. Et sic dicit aliorum contemptum, juxta hanc significationem, esse speciem superbiæ, & contemptum sui esse speciem humilitatis. Secundo modo, contemnere idem est, quod alteri indignari, & illum convitiis afficere: & juxta hunc modum contemptus dicitur, quod contemnere alium, sit vitium pertinens ad impatientiam. Hos duos modos assignat prædictus Doctor, libro secundo, tract. 19. ubi disserit de superbia in se. Tertio modo, contemnere idem est, quod nolle alteri subijci. Quarto modo, idem est, quod transgredi præceptum, & non obedire, quod modo sæpissime utitur scriptura sacra, cum Deus dicit, se à peccatoribus contemni propter hoc solum, quod præceptum illius non obediunt. Nam in Levitico, cap. 26. volens Dominus ostendere populo afflictiones, quæ venturæ erant super illum, si mandata ejus non servasset, ait: *Si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: sed spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, &c.* In quibus verbis aperius dicit Deus, omnes peccatores contemnere leges suas, quia non obediunt illis. Et apud Salomonem sapientia divina omnibus peccatoribus dicit: (Prov. 1.) *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non sicut qui aspiceret. Desprexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Hos duos ultimos modos contemptus reddidit idem Doctor eodem lib. 2. tract. 20. ubi disserit de superbiæ, & dicit contemptum, juxta has duas significationes, esse filiam superbiæ, propterea quod à superbiâ oritur, ut quis nolit subijci suo superiori, aut nolit leges illius, aut præcepta servare. Joannes Gerson, lectione 5. de Vita animæ spirituali, citat sententiam hujus Guillelmi Altifiodorensis, circa significationes contemptus, & post illum Adrianus Papa, in quodlibeto sexto, art. 2. & (ut ingenue vera loquar) nullus illorum vere Altifiodorensis sententiam citat: & unus alteri in citatione non consentit. Joannes Gerson refert tres modos contemptus. Adrianus refert quatuor, & ambo referunt unum modum, qui nec nominatur ab Altifiodorensi, & est rem negligere, & eam non curare. Ideo ego loca, in quibus Altifiodorensis de hæc re disserit, citare decrevi, ut quicumque illum legere voluerit, clare agnoscat verum esse quod dico. Idem Altifiodorensis libro tertio, tract. 9. disserens de mundi contemptu, ponit quatuor modos, quibus mundus potest contemni, qui aliquo modo differunt ab his quatuor supra nominatis, sed nostro proposito non conveniunt. Hujusmodi variis contemptus significationibus offensus, Joannes Gerson, quem in hac parte sequitur Adrianus, loco proxime citato, dicit, quod solus contemptus, qui est nolle subijci, est peccatum mortale, sive sit contemptus legis humanæ, sive præcepti humani. Et hæc istorum sententia videtur sumpta ex B. Thoma, qui in illo loco supra citato, hæc ait: *Tunc committit aliquis, quis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas, ejus renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam.* Quando autem è converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulæ, non

peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteret. Hæc Sanctus Thomas. In quibus verbis id annotandum est, quod, ut quis dicatur legem transgredi, ex contemptu, requiritur contemptum esse causam illius transgressionis, à quo, tamquam à causa illa procedat, & non satis est si contemptus simul addit cum ipsa transgressionem, taliter quod contemptu secluso, nihilominus legem, aut præceptum transgrediretur, quemadmodum Aristoteles 3. Ethicorum dicit de eo, qui peccat ignorantia concomitante, sed non ex ignorantia tamquam ex causa. Hæc omnia, etsi optime dicta esse censeam, non tamen plene satisfaciunt proposito regulæ sextæ per me nunc datæ. Quoniam sicut possibile est transgressionem legis, aut præcepti esse sine contemptu, ita è contrario possibile est, ut contemptus sit sine transgressionem. Possibile enim est, ut legem, aut præceptum quis servet, & contemnat legem, aut legislatorem, aut præceptum, aut præcipientem. Ideo de ipso contemptu, prout haberi potest, seclusa omni transgressionem, disserere volo, quoniam de illo solo loquitur regula nunc per me data. Talis autem contemptus potest haberi, aut de sola lege, vel præcepto, aut de ipso legislatore, vel præceptore, & uterque contemptus potest ab altero separari, ut constat. Et de utroque istorum potest haberi contemptus, juxta illos duos primos modos, quos supra ex Altifiodorensi citavimus. Nam alii duo posteriores non servantur nostro proposito, quia illi duo (ut notum est) non possunt haberi sine legis, aut præcepti transgressionem. His prælibatis, quas ponam conclusiones, ex quibus quidquid ad hanc rem spectat, facile colligi potest.

Prima conclusio. Prælatum, quatenus prælatus est, non potest sine peccato mortali contemni, sive sit minus illum quam oporteat appetiando, sive illi indignando, aut illi convitiis inferendo. Dixi quatenus prælatus est, ut per hoc ostenderem, talem contemptum dirigi ad ipsam prælacionis dignitatem, & non ad personam prælati. Hæc conclusio probatur per id, quod Salvaor ait: (Luc. 10.) *Qui vos spernit, me spernit.* Quæ verba, non de personis prælatorum (ut mox dicemus) sed de ipsa prælacione intelligenda sunt. Quoniam cum illa prælacio (ut Paulus ad Romanos, cap. 13. ait) sit à Deo instituta, quisquis illam contemneret, Deum illius institutorem contemnere videretur. Ideo Christus Salvaor noster Cayphæ, quamvis pessimo Pontifici, & Pilato malo & idolatræ Præsidi, reverenter loquutus est, propter solam prælacionem, quam tenebant dignitatem. Qua in re exemplo suo nos docuit, ut præpositis nostris justam exhiberemus reverentiam. Si quis prælacionem ipsam minus quam oportet, appetiaret, aut illam irreverenter tractaret, talis contemptus erit dicendus peccatum veniale, aut mortale juxta qualitatem appetitionis, aut irreverentiæ. Si quis Papam contemneret, æstimando illum esse profus æqualem cæteris Episcopis, aut Episcopum contemneret credens illum penitus æqualem cæteris Presbyteris, peccaret mortaliter, nec leviter, cum ob hoc solum esset, censendus hæreticus. Si tamen forte minus quam illa sit, æstimaret prælacionem alicujus, propterea quod nondum esset sibi plene manifesta potestas illius, tunc nullum, aut forte levissimum peccatum committeret. Et eodem modo distinguendum est de irreverentia levi, aut gravi, ut juxta le viritatem, aut gravitatem ipsius, dicatur contemptus talis peccatum veniale, aut mortale.

Secunda conclusio. Prælatum, quatenus talis personæ